

Nf. 24.





PROGRAMMA ACADEMICUM,  
nati Salvatoris memoriae  
sacrum,

UNIVERSITATIS FRIDERICIANAE

PRO-RECTOR,

IO. HENRICUS  
MICHAELIS,

S. Theol. nec non Graecae ac Orientalium Linguarum  
Prof. ordin.

una cum  
PROFESSORIBUS RELIQUIS

*Studiosam Juventutem,*

ab aetate academica avocatum,

ad dignam partem per CHRISTUM salutis considerationem  
& applicationem

sincere ac peramantem cohortatur.

ba.



PROGRAMMA ACADEMICUM

ad solvendum quaestiones

factum

UNIVERSITATIS FRIBURGAE

PRO-RECTOR

IO. HENRICUS



MICHAELIS

in theol. fac. non Graecae Orientalis Linguae

Prof. ordin.

PROFESSORIBUS RELIGIOSIS



Studiosam presentem

ad ecclesiam reuerentibus

et ceteris reuerentibus

et ceteris

et ceteris



ne  
est  
pri  
&  
est  
in  
un  
na  
tes  
cr  
sp  
ve  
cu  
lat  
H







σωτία omnis, præcipue Academica, quantopere a christianæ religionis principiis abhorreat, vel solum Salvatoris nostri optimi maximi nomen nos edocet. Hic enim dicitur σωτήρ, sui que nominis mensuram ita implet, ut vim ejus atque efficaciam humani generis ασωτία opponat, eique medeatur. Quid autem hæc est, nisi horrenda illa naturæ nostræ labes, qua jam inde a prima hominum defectione, mortalium quilibet infectus est, & in suum exitium ipse laborat? Nec vero existimandum est, ασωτία, seu statum veræ salutis expertem, tantum esse in effusiore impietatis genere, quod etiam severiori civilium legum freno eget. Certe enim ipsa etiam honestas, quæ naturæ corruptæ proles est, demendam labem crusta sua tegit. Nec tegit solum, sed tegendo etiam ita exornat, ut crustata hæc, seu integritatis formam mentita, miseria fallaci specie exsplendescat. Sic etiam anguis in hac herba latet! Univerfo huic, qui in asotia est, morbo, seu morborum animæ cumulo, medicinam, σωτηρίαν nomine significantius appellatam, attulit ipse Dei filius, ab hoc suo opere admirando Hebraice שׂוּתָר, unde vox ἰησοῦς formata est, & Græce σωτήρ, dictus. Latine utrum *Servator* dici debeat, an vero



*Salvator*, inter philologos christianos ambigitur. Qui *serva-*  
*toris* nomine uti malunt, ad Romani sermonis proprietatem  
 respiciunt: sed ad emphasin, qui alteram vocem præferunt.  
 Nam quia *servare* proprie est verbum militare; servator is  
 est, qui tantum parcat iis, quos poterat interficere. At  
 σωζεν in sacris litteris plus est, quam non perdere, seu su-  
 perfitem relinquere, ac in vita conservare. Significat enim,  
 iis, qui jam perdit, immo mortui, erant, vitam ex integro  
 restituere, eosque, e miseria summa in summam libertatem  
 assertos, multis gratiæ dotibus ac charismatis, atque ita nun-  
 quam intermorigura & inestimabili beatitate ac gloria cum-  
 mulare: id quod est *κατ' ἐξουσίαν salutem dare*, *εὐρεῖται* / *scelig-*  
*macheri*. Quæ hujus vocis *θεωσις* cum melius exprimi pos-  
 set verbo *salvo*, *salvator*, hoc a scriptoribus Latinis, qui Christo  
 nomen dederant, LACTANTIO aliisque, hic adsumtum  
 fuit, etsi Latio non adeo probatum. Unde AUGUSTINUS  
 de Trinit. L. III. c. 10. *Qui est*, inquit, *Hebraice Jesus*, Græ-  
 ce σωτης, *nostra autem locutione SALVATOR*: quod verbum La-  
 tina lingua antea non habebat, sed habere poterat, sicut potuit,  
 quando voluit. Sed nec Latinis præficus id fuisse plane ignotum,  
 aut improbatum, inter alia probat illa vetus apud GRU-  
 TERUM inscriptio p. 19. IOVI CUSTODI QUIRINO  
 SALVATORI PRO SALUTE CAESARIS NERVAE  
 TRAIANI. Græcum vero σωτης magnam habere empha-  
 sin, nec facile una voce Latina reddi posse, ipse CICERO  
 confirmat. Cum enim hic Siracusis deprehenderet statuam  
 VERRI positam, L. IV. in Verrem p. 139. b. *Eum*, inquit, *non*  
*solum patronum illius insula, sed etiam SOTERA inscriptum vidi Si-*  
*racusis*. Hoc quantum est? Ita magnum, ut Latino uno verbo  
 exprimi non possit. Is est nimirum SOTER, qui SALUTEM DEDIT.  
 Sed mittimus ista φιλολογημενα, etsi haud supervacua, certo  
 ac recte persuasi, nos tantam in Christo salutem habere,  
 cui



cui nulla verborum pondera respondeant. Et hanc, Christo in hanc lucem edito, publice proclamatum missus est cœlestis aliquis legatus, splendido angelorum choro stipatus, dicens: *Annuntio vobis gaudium magnum! Natus est vobis hodie σωτήρ, Salvator!* Ordo autem, quo partæ salutis participes reddimur, est in ἀσωτίας nostræ agnitione & abnegatione: quemadmodum res ipsa & indicat & postulat; siquidem nulla sanitatis restitutio fieri potest, nisi morbo & agnito, & per medicinæ efficaciam depulso. Unde PAULUS, eodem ordine ad saniorem mentem perductus, ut, tanquam Salvatoris præco, eo etiam alios perduceret, inter multa alia præconii sui monumenta: *Apparuit, inquiebat, gratia Dei ἡ σωτήριος, salutaris illa, nos castigans, ut impietate mundique hujus cupiditatibus abnegatis, sobrie (σωφρόνας, mente sobria) & iuste & pie vivamus in hoc mundo.* Tit. II, II. Neq; ignoramus, Filium Dei ἀσάρκον hunc sibi ἐνσαρκώσας, suæ finem præposuisse, ut in redemptis diaboli opera, quæ ipsa ἀσωτία sunt, dissolveret, eosque ab iis repurgatos in sanctum sibi peculium vindicaret; ita ut, quotusquisque salutem suam salvam esse, seu in tuto collocari, cupiat, non sibi vivat ipse, nec, qui totus in maligno positus est, mundo, sed Christo Domino suo ac Salvatori unico.

Hunc religionis christianæ scopum ac cardinem, nervumque christianismi primarium, uti per integram vitam, sic in primis hoc temporis articulo, quo anniversariis feriis almae ἐνσαρκώσεως memoriam recolimus, merito sancte meditamur. Quo autem rectior nostra erit meditatio, eo magis deprehendemus vulgarem humanæ vitæ ἀσωτίαν a doctrinæ christianæ principiis & statutis abhorrere. Et si communis vivendi licentia e diametro opposita est evangelio, ab angelis, Christi nati nuntiis, promulgato; quanta non erit oppositio, quantus hiatus, inter ἀσωτίαν academicam &



ἀσκητικὴν evangelicam? Etenim si genuinum vitæ academicæ scopum spectemus, in confesso est, hunc esse salutem societatis, & civilis & christianæ. Et hæc ut promoveatur, promotaque amplificetur ac conservetur, juventutis flos, aliis, in errorum ac vitiorum nocte ambulantibus, sapientiæ facultam prælaturus, litterarum studiis consecratur. Sed sanctam hanc vitæ hujus destinationem qui cum vulgari ejus praxi confert, grandem istam, quæ hic intercedit, discrepantiam non potest non sincere detestari, qui sanæ mentis homo est, ad eam vero totus cohorrescere, qui Christo nomen animumque dedit. Quæ enim hic esse potest communio tenebris cum luce? quid commercii Christo cum antichristianis spiritibus, quos sacræ litteræ *עוֹלָם בְּלֵי* vocant? Vestra vero, CARISSIMI CIVES, res hic agitur in hoc salutis, de qua agimus, cardine. Vos quando cogitamus, non unus mentem affectus subit impletque. Utinam id nobis felicitatis obtingeret, ut mœroris minus, plus vero lætitiæ, habere-mus! Non quidem nescimus, nos bonæ quoque notæ auditores habere. Sunt enim, quæ Dei est gratia, tales in scholis nostris alumni, qui nec Spiritus Sancti disciplinam detrectant, ideoque fiunt *θεοδιδασκτοι*, nec aliorum doctores esse volunt, nisi ipsius Christi & fuerint & manserint discipuli genuini, ad ejus mentem magis magisque formandi. Sunt, quod partim scimus, partim speramus, Jurium cultores, qui sibi religioni ducunt vitæ impietate Deum afficere injuriâ: qui, dum discunt suum tribuere cuique, nec Deo, quod ipsi debetur, denegant. Nec deesse existimamus ejusmodi almæ artis medicæ studiosos, qui animæ suæ curam alienorum corporum aliquando curandorum studio haud postponent. Et quandoquidem ea demum genuina philosophia est, quæ naturæ ac gratiæ confinia recte ac salutariter internoscit; non dubitamus, quin in nostra hac studio-



rum universitate ejusmodi sint φιλοσοφῶντες, qui non solum  
e statu bruto in humanum, sed ex humano etiam in christi-  
anum, seu gratiæ statum, se transferri sinant. Et tales  
omnium ordinum auditores sunt deliciæ nostræ, sunt pi-  
gnora nostra carissima. Hos diligimus, immo colimus, de  
his nunquam non singulari *προθυμία* bene merituri. Verum  
enim vero, quantula hi, Auditores, vestri pars sunt? Bona-  
quidem nostra agnoscimus, sed mala, multo copiosiora, de-  
ploramus. Hæc vero deprehendimus in *ἀσωτία* academi-  
ca, eaque per omnes ordines grassante. Videmus enim  
Theologiæ studiosos haud paucos sine Deo sibi ipsis vivere,  
vivosque esse mortuos, ac, quam turpiter, pro Christo, ali-  
quando ventri suo sint servituri, orcumque amplificaturi,  
sua vitæ impietate abunde demonstrare. Videmus Juris  
cultores, eheu! quam multos! qui, quod jus & fas est, præ-  
cipue in vita ad veri rectique præscriptum componenda,  
non quidem plane nesciunt, at pedibus quasi conculcant,  
dum divitem istum lurconem, cujus in historia evangelica  
non ignota est *ἀσωτίας* infamia, imitati, καὶ ἡμέραν, tantum  
non singulis diebus, vivunt λαμπρῶς & simul ἀσώτως, cum  
summo summi numinis contemptu. Nec defunt, qui, me-  
dicinæ studium professi, uti animæ, sic ipsius etiam corporis  
sui, curam habent nullam, sed, illa neglecta, hoc quoque in-  
temperantia sua destruunt, & hac ratione suæ in arte meden-  
di theoriæ occidendi praxin in se ipsis jungunt comitem.  
Tales vero omnium ordinum degeneres auditores quis recte  
& sobrie philosophari credet? Quis nescit, non philosophiam  
esse, sed philomoriæ, quicquid est in asotis, & quicquid  
cum luxuria consistere posse existimatur? O nostri! (si pro  
nostris vos agnoscere possumus) quo tenditis? quorsum rui-  
tis? cur in vestrum ipsi exitium tantopere laboratis? Num  
lævis momentires est, iratum Deum in sui vindictam quasi  
armare; in animam suam immortalem, & plusquam in  
sua



sua ipsius viscera scævire; effeminato animo effœtum morbidumque reddere corpus; suæ ipsius famæ atrocitas studere, parentibusque ac cognatis esse dedecori, uti & patronis exfordescere? Nec est, quod provocetis ad libertatem academicam. Licentia est, immo servitus, eaque propudiosa, & liberalibus ingeniis indignissima; non libertas. Christo Salvatore, abnegata *αὐτοῦ*, servire, summa est libertas: sibi autem ipsi vivere, & se voluptatibus constringendum dare, & hac ratione ne decori quidem rationem habere, est ipsis brutis magis esse brutum, & data opera obbrutescere. Quid de digladiandi feritate dicamus? Certe præter humanam speciem nihil in ea humani, nedum christiani, recta ratio deprehendit. Stupendum sane est, præ se ferre honestatis studium, quam Galli *bonnêteté* vocant, & tamen non solum tam inhoneste, sed etiam tam turpiter immaniterque, agere. Pugnare olim Thracum erat, & Phrygum plagis emendari; hodie multorum academicorum, qui aut nunquam, aut non nisi sero, deprehensa fundi sui calamitate, sapere volunt. Sistite, quæsumus, gradum, viri juvenes! Sistite; dum reditus patet ad frugem, ad Dei gratiam, ad honestatis ac litterarum studia. Vita vestra tota, at quam brevis! at quam incerta! punctum est, & si quid puncto minus, ad immensam æternitatis lineam. Et punctuli istius exigua admodum pars est spatium vitæ academicum. Ab hujus vero collocatione pendere solet vitæ omnis, præcipue æternæ, linea. Quamobrem, subdudctis rationibus, vestri curam habete! Considerate severa *Potentissimi Regis nostri edicta*, nuper denuo academicæ impietati ac protervitæ, ex ipsa aula *αφορίε* nomine appellatæ, opposita! Considerate, præcipue hisce feriis, aut nomen locumque mutandum, cælumque ipsum deferendum esse, aut aforos mores exuendos. Natus enim nobis est Salvatore, *σωτήρ*, *αὐτοῦ* nobis serio commendans, nostrisque animis infusus. P.P. in Academia Fridericiana ipsis feriis natalitiis A.C. M DCC XII.

HALÆ MAGDEB, Litteris ORPHANOTROPHEI.





Ja 1586

ULB Halle

3

001 508 687




St

WAT









Inches

1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

50

PROGRAMMA ACADEMICUM,  
nati Salvatoris memoriae  
facrum,  
quo  
UNIVERSITATIS FRIDERICIANAE  
PRO-RECTOR,  
**IO. HENRICUS**  
**MICHAELIS**,  
S. Theol. nec non Graecae ac Orientalium Linguarum  
Prof. ordin.  
una cum  
**PROFESSORIBUS RELIQUIS**  
*Studiosam Juventutem,*  
ab auctoritate academica avocatum,  
*ad dignam partem per CHRISTUM salutis considerationem*  
*& applicationem*  
*sincere ac peramanter cohortatur.*

ba.